



Nf. 24.







78

LECTIONUM  
AESTIVARUM  
ORDINIS THEOLOGICI  
IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA  
**PRODROMUS,**  
quæ in gratiam studiosæ juventutis ple-  
nius hic exponuntur,  
in Catalogo autem Lectionum Academico  
summatim proxime repetentur.  
An. MDCC XII.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

t.

LECTIOMUM  
VESTIVARUM  
ORDINIS THEOLOGICI  
IN ACADEMIA REGIA THURINGIANA  
PRODROMUS

que in gratiam  
in Carolinam Thuringiam Academicam  
ANNO MDCCCLXII



CHRISTIANI HENSELII Acad. Typogr.



DECANUS, SENIOR,  
ET RELIQVI PROFESSO-  
RES ORDINIS THEOLOGICI

IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA

LECTORIBUS

S. P.



Tertius jam labitur annus, quum *Lectionum Hibernarum Prodromum* in lucem emisimus, significata simul haud leui facti illius caussa. In praesentia vero *Aestivarum Prodromum* exhibemus. Quo consilio isthuc a nobis fiat, paucissimis expeditum dabimus. Praecipua in Academiis mutatio, quoad variationem Auditorum, verno tempore contingit. Eo enim iuvenes plerique aut scholam cum Academia, aut Academiam aliam cum alia commutare solent. Idcirco ipsi quoque Docentes tum maxime de auspicandis Praelectionibus nouis, de iisque ad Auditorum, quos habent, & quos exspectant, vtilitatem accommodandis, consilia capiunt. Qua re fieri etiam solet, vt ex aestiuis Doctorum operis ipsae subsequentes hibernae magnam partem dependeant. Prodest igitur, primo vere potissimum, seu sub initium semestris aestiui, publice constare de laboribus in iuuentutis studiosae emolumentum

A 2

tum

tum exantlandis. Catalogus quidem eorum Generalis, illo ipso (vti pariter autumnali) tempore edi solitus, quasi in tabula quadam ea, quæ docentur, repræsentat. Verum tamen plenior Lectionum, in primis ad specialem Studiosorum curam pro studiorum diuersitate atinentium, conspectus ipsorum haud dubie augebit commodum: qualem proinde nos Theologiæ Cultoribus hic ostendere constituimus, memores, ejusmodi quid a singulis etiam Professoribus aliis pro re nata fieri. Atque talem conspectum quis dubitet ad studia recte ordinanda tractandaque plurimum valere, magno præsertim Studiosorum numero rationem studiorum, in posterum sequendam, maturius efflagitante? Modo, quod a nostris exposcimus, campus istiusmodi patefactus non obiter perlustretur, sed, tamquam gradatim singulis emetiendus, intentis animi oculis, quoad methodum etiam & usum, enarrationi Lectionum quodammodo adjunctum, consideretur. Summatim deinde ea, quæ hic, quantum fert ipsa res, aliquanto fufius protulerimus, in Catalogo, quem diximus, Generali recolentur. En itaque nunc præcedaneam vberiore prælectionum Theologicarum proximo semestri præstitutarum recensionem!

D. JOACH. JUSTUS BREITHAUPT A. B. Theses Doctrinales atque Morales docuit docebitque publicè, privatim illas examinans; in Æde publicâ etiam audiens Conciones seu Homilias nonnullorum, easdemque censens in cœtu Academico. Instante cursu Theses tractabuntur ita, ut singulæ juxta Fidei analogiam, patefacto nexu, explicentur; nervus probandi ostendatur in Scripturæ S. locis, confirmeturque; modi  
exqui-



exquisite ac commodè loquendi, & Biblici, & Ecclesiastici, & Scholastici, solite exponantur cum Synonymis, Definitionesque ac Divisiones enucleentur; atque addatur simul, quomodo ad Theoriam pertinentia potissimum in Chemnitio, aliisque Veteribus & Recentioribus Theologis, maxime autem in Libris Symbolicis clarissime & uberrime sint legenda, non sine momentis Historiæ Ecclesiasticæ indagandis: quæ verò ad Praxin ducunt, detegunt quoque primum in ipsis Emphasibus ac Contextibus Biblicis; tum verò & indicabitur, ubi in B. Joh. Arndii libris de Vero Christianismo sic populariter efficaciterque explicata sint, ut ratio inde hauriri possit & semetipsum, & auditores, quàm commodatissime explorandi atque ædificandi. Quem admodum porrò Theologiæ Moralis fundamenta ipsæ Theses Morales, Doctrinalibus subjunctæ, suppeditant, unà declarandæ; ita circa utrasque vera sentiendi, agendi & docendi methodus Evangelica, adversus Indifferentismum, Libertinismum, Separatismum, nec non Pædiam merè Mosaicam, seu meris præceptionibus hypocrifeos semina gignentem, commendabitur. Nec subinde non derivabuntur ex Thetica hac institutione Homileticæ Observationes, ut conspiciatur luce clarius, quàm necessaria sit Theseos solida cognitio, non tantum ad Controversias, sed etiam ad Exegetin, & Concionem salutariter adornandas.

D. PAVLVS ANTONIVS ponderatis hactenus *antithesi speciali* tum nostri seculi, tum superiorum ætatum motibus & controuersis, collatisque semper momenti ac documentis historicis; instante semestri æstivo B. C. D. se conuertet ad tractandam *antithesin generalem*

*ralem atque vniuersalem*, ita ut seruato ordine *thesum* fundamentalium, quas ad manum habent auditores, commode & quasi e diametro sistantur contradicentes, vetustiores & neoterici; argumenta palmaria diligenter fideliterque excutiantur, ostensis errorum fontibus, primisque præiudiciis; iis etiam, quorum semina naturaliter insunt singulis vbique mortalibus. Adiunget subinde in responsionibus consensum symbolicum; præcipuos quoque auctores, ex quibus vberior diiudicatio peti queat, commemoraturus. Potiora denique, quæ calamo facile excipi poterunt, examinando & disputando repetere perget. *Requirit* hinc auditores, qui probe perceperint ad minimum theses, vel in nostra, vel in alia academia; operamque suam porro offert ad curas & consultationes priuatissimas.

In *exegeſi noui testamenti*, absolutis iam tribus epistolis Iohanneis, accessit ad Petrinas; progressurus postea ad reliquas apostolorum epistolas catholicas, vbi textus data analysi, subiunctaque statim paraphrasi, & ostensa vberius emphasi, applicabitur ad res theologico-ecclesiasticas, quarum vsus est præsentissimus; adpersis quandoque parallelis ex scriptis virorum apostolicorum, antiquitatibus, & ipsis confessionibus publicis.

AUGUSTUS HERMANNUS *Grande* mensibus hibernis præteritis *Jesaiam* publice interpretatus est, data simul opera, vt *Hermeneutica S. præcepta*, quilibet inculcata occasione, commodis subinde exemplis illustrarentur. Præterea & in *Parænesibus* publicis consuetis, & in tractatione *Euangelii Matthæi* perrexit. In posterum autem V. D. *Prælectiones* suas *Hermeneuticas*, aliquot abhinc annis habitas, nunc autem prelo subijciendas,

endas, ejusdem generis Lectionibus, in gratiam præcipue nouitiorum, primo trimestri spatio substernet; ratus, Exegeteos S. Studiosos supposita hoc pacto fundamentorum hermeneuticorum majori peritia, deinceps Lectiones quaslibet in V. ac N. Testamenti libros fructu esse frequentaturos vberiore. Opera vero ista ad finem perducta, illico se referet ad interpretationem *se-suae*, in eaque, quæ tum ultra caput *quadragesimum* pertractata fuerint, paucis primum retractabit. quo habeant Auditores, qui de nouo accesserint, in capite illo *quadragesimo* illustre Prælectionum residuarum initium; deinde absoluere Prophetam ea methodo studebit, vt singulis in vaticiniis ante omnia *sensum litteralem*, tum vero etiam *præceptorum Hermeneuticorum applicationem & praxin* demonstret, ipsaque vaticinia explicata ad *usum Dogmaticum, Exegeticum, Elencticum, Moralem, Homileticum* transferenda doceat. In *Matthæo* quidem exponendo, & ad praxin christianam applicando, perget: quum autem pauca in eo capita restent, breui eandem operam in *Marcum* conferet. *Paræneses* vero ad *Ideam Studiosi Theologiæ*, typis hoc ipso tempore, eum quoque in usum, exscriptam, accommodabit. In hisce porro enitetur, vt Auditores *cum christiani officii, tum studiorum suorum cursum ad veram ac certam Ecclesiæ utilitatem* dirigere discant. Denique priuatim addet *Prælectiones Casuisticas*, quas etiam hiberno semestri dedisset, si fieri id sine manifesta interturbatione horarum, lectionibus theologis jam occupatarum, potuisset.

IO. HENR. MICHAELIS, S. Theol. item Gr. & OO. Lingg. P. P. in cursu quidem suo, cum morbo accipiti, tum funeribus ex obitu Parentis, Vxoris, & nuperr-

perrime Matris, varie turbatus & impeditus huc vsque fuit; sed in posterum *cum Deo* in lectionibus suis impigre perget, suamque Spartam pro viribus ornabit. Atque vt in *fundamentis Grammaticis* & cursoria *lectione Veteris Testamenti*, aliisque eo spectantibus, satis prouisum Studiosis est per lectiones, quæ in ædibus ipsius quotidie *privatim* habentur; ita *hora II. post meridiem* singulis diebus hac hieme *publice*, & fundamenti loco *solite* ex philologia & antiquitaribus sacris explicauit *Marthæi Euangelium*; reliquos *Euangelistas* nunc per *compendium*, vt promisit, coniunctim *euoluturus*; cum, vt filium *Euangelicæ* historię integrum monstretur, tum vt eo citius ad ceteros *N. T.* libros perueniamus. Ideo etiam illius *harmonię breuissimum indicem* in calamus dictabit prius, deinde ipsa sacrorum *Scriptorum* verba præleget, breuibisque scholiis philologicis ac paraphrasi illustrabit. *Historiam Ecclesiasticam*, post absolutum cum semestri æstiuo *Compendium Gothanum*, de integro docere cœpit hoc semestri hiberno *hora VIII. matutina*, ad ductum *Summarii Rechenbergiani*. Quod, quia historiam quidem *Ecclesiæ N. T.* de veteri autem *oeconomia* non nisi breuissimum indicem *chronologicum* exhibet, pro nexu & ordine temporum *V. T.* paullo vberius monstrando *Programma*, ante biennium a se editum, recensuit prius, eoque declarato ipsum *Summarium Rechenbergianum ad Seculum usque V. post Christi natiuitatem* exposuit: idque porro in isto negotio operam dabit, vt & *Scriptorum* & rerum momenta, quæ per summam copiose offert *Ven. Auctor*, breuiter quidem, sufficienter tamen, explicentur. Reliquum tempus, quod a *creberrimis interpellationibus* superest, partim *cura Bibliothecæ*

*theca Academica*, partim editio *Hebraei Codicis*, in qua adhuc desudamus, sibi deposcunt.

JOACHIMUS Lange / SS. Theol. Profess. Ord. præter lectiones publicas, tam *Theticas*, quam *Homileticas*, semestri hiberno privatim habuit Collegium *Exegetico-Typologicum* in *Genesim*, quo, facilioribus, secundum fontem *Hebraum*, παραφρασεως tractatis, locisque difficilioribus ac prægnantibus curatius considerata, typicam *Christi*, ejusque regni, adumbrationem eruit ac commonstravit. Accessit Collegium *disputatorium*, in quo, inter alia, naturæ & gratiæ confinia, diversaque momenta, excussa sunt: nec non *Lectio Ascetica*, diebus dominicis, post finita sacra publica, in 2. *Tim. II.* habita. Has lectiones æstivo semestri sequentia excipient collegia:

I. *Theticum*, per subsidiarias operas publice habendum, & quidem eadem serie ac methodo, quæ supra a Venerando ordinis nostri Seniore indicata est.

II. *Homileticum*, partim *theoreticum*, in præceptis monitisque necessariis ac utilibus tradendis ita occupatum, ut, vanitate, quæ affectatæ artis est, inde sejuncta, ostendatur, quomodo, secundum genuinam sermonis, ipsarumque rerum, ὁμοιοτυπίας, dicendum sit ordinate, solide ac salutariter, gravique & sancto cum affectu, ipsam materiam & præconem sacrum decente: partim *practicum*, quo dispositionum ac integrarum concionum specimina censuræ submittentur, & hac ratione auditorum judicium in præceptorum applicatione magis magisque acuetur & confirmabitur. Hoc collegium, pro more jam recepto, itidem erit *publicum*, quod paucioribus quidem horis per hebdomadas singulas habebitur.

sed ita adornatum, ut auditoribus sufficere possit. Qui praterea privatam in Homileticis operam requirent, docentem, uti adhuc, sic etiam in posterum, facillimum habebunt.

III. *Theticum*, privatim habendum, & quidem ad ductum alicujus Compendii Theologici, quod auditorum plurimi ipsi elegerint. Quia vero singuli jam in scholis Compendium aliquod comprehenderunt; quod, nisi uberiore animi applicatione tractetur, saltem digne repetatur, fructum relinquere solet exiguum: ideo præcipue desiderio inservietur eorum, qui Theologiam Theticam, cui in scholis jam memoria adsuevit, frustra, aut sine debito fructu, percepisse nolunt. Qui quia procul dubio non tam operosam singulorum, etiam faciliorem, explicationem, quam rerum jam perceptarum repetitionem ac illustrationem, requirent, Collegium illis aperietur *δοκιμασιῶν*, quod vulgo *Examinatorium* vocatur; hac methodo, ut ipsis etiam auditoribus, sicubi dubii hærebunt, liceat doctorem interrogare. Quæ interrogationes, ut eo majorem habeant fructum, ita instituentur, ut primum dirigantur ad commilitonem aliquem, ab eoque expendantur: qui, hunc in finem inferiore cathedræ domesticæ parte consensa, ad interrogata respondebit, sed ita, ut docentis epicrissi, aut uberiori explanationi, simul locus relinquatur. Quæ ratione hoc institutum per certas horas simul formam & usum *Collegii Disputatorii* habebit; præsertim cum interrogationes, pro cujuslibet habitu, facile modo proponendi syllogistico fieri possint. Aliis tamen horis ipse docens auditores interrogabit, & quo magis eos in cognita veritate confirmet, non raro opponentis officii-

ficitum explebit. Cui exercitio ne quis se ex hæsitatio-  
nis metu subtrahat, volentibus liberum erit, sola auditi-  
one proficere. Ipsa vero tractationis ratio ita erit  
comparata, ut illi etiam, qui compendio isti eligendo  
antea nondum fuerint adfueti, aut ejusdem expositio-  
nem jam tum in alia Academia perceperint, fructum in-  
de capere possint non spernendum. Quod si plurimis  
B. HUTTERUS placuerit, optima dabitur occasio si-  
mul *Theologiam* Ecclesiæ nostræ *Symbolicam* cogno-  
scendi.

IV. *Exegeticum* in epistolam Pauli ad Romanos, quæ  
& ipsa egregium doctrinæ Apostolicæ compendium est.  
Methodus servabitur consueta. Post prolegomena &  
analytin epistolæ generalem, primum ostendetur con-  
nexio una cum *ὁμοιομοσίαι* uniuscujusque membri littera-  
li. Huic subjicietur ipsa exegetis, qua singularum lo-  
cutionum, vœcuniquæ præcipuarum, proprietates & em-  
phasis, secundum textum Græcum eructur, præcipuo-  
rum porismatum fontibus in expositione simul com-  
monstratis. Tandem hisce collegiis, more adhuc con-  
sueto, tanquam condimenti loco, addetur *Lectio Asceti-  
ca*, in posteriorem Pauli ad Timotheum epistolam die-  
bus festis continuanda, & præcipue vitæ academicæ, ac  
quæ hanc mox excipere solet, pastorali, ita porro ac-  
commodanda, ut, præter *ἀναζωπύρωσις*, qualem sincera  
Christianismi praxis requirit, studiosa juvenus ad-  
versus quosvis, & inter hos etiam adversus separatisti-  
cæ & indifferentisticæ (quæ parum Latine vocatur,) nec  
non fanaticæ, aberrationis & *ἀραξίας* scopulos, uti hæ-  
tenus, sic etiam porro, sollicitè præmuniatur.

Hæc

Hæc sunt, Studiosi Theologiæ Dilectissimi, ea, quæ, ut antea dictum, proximo semestri æstivo, publice privatimque, tractabuntur. Vos autem minime jam arbitrato vestro, has, illas temere obeatis Lectiones, ne studia vestra careant ordine, in quo artus ac nervi quasi sunt bonæ methodi. Quin potius desideria vestra, pro Statutorum ratione, nobis exponatis, quo possimus, libratîs singulorum progressibus reliquisque circumstantiis, congrua hisce consilia vobis suppeditare. Enimvero quantæ necessitatis utilitatisque istam studiorum vestrorum directionem esse censeamus, liquere vobis ex eo potest, quod singulis hebdomadibus quatuor, & quandoque plures, huic negotio horas, & quidem, ut vnanimi cura nostra & consensu fruamini, junctim impendamus, quæ alioquin Collegio peculiari vniciuique nostrum habendo sufficere possent. Vestrarum igitur partium est, hoc vobis oblato beneficio, ipsaque Statutorum sanctione munito, recte & alacriter, uti ac perfrui, & consilia, quæ a nobis acceperitis, fidei & assidua cura, inter pias preces, sine quibus omnia languent ac frigent, exsequi. Deus vero in sui nominis gloriam sempiternam, & publicum Ecclesiæ commodum, cedere cuncta jubeat. Datum in Academia Regia Fridericiana d. 27. Febr. A. C. MDCCXII.





Ja 1586

ULB Halle

3


001 508 687



St

V17







78

LECTIONUM  
AESTIVARUM  
ORDINIS THEOLOGICI  
IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA  
**PRODROMUS,**  
quæ in gratiam studiosæ juventutis ple-  
nius hic exponuntur,  
in Catalogo autem Lectionum Academico  
summatim proxime repetentur.  
An. MDCC XII.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

t.

